

natu, dignaremur. Nos itaque iustis et dignis petitionibus predicti magistri Nicolai aures nostre magnitudinis advertentes, cognoscendo eiusdem petitiones fore iustas, et a prescriptis nobilibus regni Sclavonie veridica relatione agnoscentes, tam pro eo, quia idem magister Nicolaus a flore sue iuventutis semper in omnibus expeditionibus regni Sclavonie, vna nobiscum, sacrosancte corone debite viriliter dimicando, in nullo rebus parcens, vel personis, et specialiter tunc, cum nos, vna cum filijs Henrici, bellum siue prelium habuissemus personale, idem magister Nicolaus multorum suorum proximorum cede et sui sanguinis effusione, multa pro nobis sustulerit uulnera, quam etiam, quia strata ipsa et transitus fluuiorum in proprijs possessionibus eiusdem Nicolai existentibus, videlicet Delebszk, Zwha Delebszk, Zalnuke et Radowysche, ac etiam per Lonam, grauis erat et periculosus, ex certa sciencia ac de beneplacita voluntate vniuersorum nobilium regni Sclavonie prescriptorum et aliorum quorumlibet nobiscum existentium, predictum tributum predicto magistro Nicolao duximus conferendum, heredum per heredes in hunc modum: vt pontes predictorum pontium per predictum magistrum Nicolaum prompti habeantur nunc et semper, seu parati, et ipsum tributum auctoritate regia per nos vna cum nobilibus regni Sclavonie collatum et statutum, consentientibus vniuersis comitanibus et vicinis, perpetuo more solito ab omnibus, quibus decet, exigatur in hunc modum, vt de curru duo denarii et de pedite dimidius denarius et non plus, tributum autem prenotatum de omnibus pontibus fluuiorum eidem Nicolao et suis posteris in recompensationem suorum seruiciorum datum et collatum in Radovysche, vbi idem residere dinoscitur, sine contradiccione et more consueto ab antiquo, eidem et suis successoribus perpetuo amministretur, per nos, per nos (sic) et nobiles regni Sclavonie exstitit definitum. Presentes autem cum nobis fuerint reportate, in forma priuilegij nostri, propter uberiorem cautelam, ac iuris et iusticie evidenciam, redigi faciemus. Datum in Vrbaz sexta feria ante festum beati Michaelis Archangeli anno Domini Millesimo CCC° vigesimo. Nos itaque predictas nostras litteras patentes cernentes fore esse iustas, non abrasas, non cancelatas, nec in aliqua parte sui corporis viciatas, ex certa sciencia approbamus, ratificamus et presentis patrocinii auctoritate presencium confirmamus. Datum sub castro Oclich in octavis Omnium Sanctorum. Anno Domini Millesimo CCC° vigesimo primo.

Ex Transsumpto in membr. Ladislai de Egervara, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, a. 1481. facto, in Archivio Regni Croatiae inter Acta Conventus FF. Eremitarum S. Pauli Crisiensis. Fasc. III. N. 5. asservato.